UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavaria Sancta Maximiliani Sereniss. Principis Imperii, Comitis Palatini Rheni, Vtrivsq. Bav. Dvcis Avspiciis

Rader, Matthäus

Monachii, 1615

S. Vdalricvs Episcopvs Avgvstanvs, In Boica Natvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-79686

Visual Library

S. VDALRICVS
EPISCOPVS AVGVSTANVS,
IN BOICA NATVS.

Sigebertus anno IↃCCC XCIII. *natũ tradit: alij* IↃCCCXC. *mortuum* IↃCCCCLXX III. *Sigeb.* IↃCCCCLXX VI.

NON extra fines inſtituti mei egredior, dum Germaniæ lumen, & omnium pontificum ſanctiſſimum exemplum VDALRICVM inter Sanctos Bojorum colloco; quando illi natale ſolum Boica fuit, vt auctor eſt Sigebertus, cujus hæc narratio eſt. *S. VValdricus in Bajoariâ naſcitur*, annum tamen ſignificauit tertium & nonageſimum ſupra octingenteſimum, cùm alij plerique omnes conditores vitæ ipſius, ſiue certi, ſiue anonymi annos natum affirment LXXXIII. cùm extremũ vitæ diem clauderet, Chriſti anno CMLXXIII Vnde efficitur editum IↃCCCC. Sigebertus ſexto demum & ſeptuageſimo ejus mortem ponit, vt in ætate conueniant; non perinde in die illius natali & fatali. Locum patrij ſoli, qui natum excepit Vdalricum, nemo ſignatè exprimit, præter Sigebertum. Petrus de Natalibus lib. VI. cap. LIII. nobilẽ Romanũ appellat. Omnes ex Hupaldo Kyeburgenſi dynaſta, & Thietburgâ ortum tradunt. Sed cùm magna pars Bojorum in Diœceſi Pontificis Auguſtani jam olim hodiéque poſita ſit, neceſse eſt illum ſæpè in Bauariam ad luſtrandam Pontificiam ſuam prouinciam excurriſſe, muniáque pontificia obiiſſe. Et ſunt paſſim hodie in Boicâ veſtigia illius olim præſentiæ, eóque nomine inter Sanctos etiam noſtros collocandus erat.

Oſtẽditur tamen ſacellum Dilingæ, vbi vel natus, vel educatus à prima infantia creditur. Ego Sigebertũ ſequor. alij apud Helnetios natum tradunt.

Quanquam à Principibus Bojorum & Palatinis haud parum, nec rarò fuerit vexatus, obſeſſus, & in vltima vitæ diſcrimina adductus, quòd Imperatorum partes ſequeretur. In geſtis ejus denarrandis hîc non ero prolixior, cùm paſſim omnium manibus terantur, & olim à Bernone ac alijs, & nuper Auguſtæ recens edita ſint. Præcipua ejus virtus in pauperum curâ, innocentiâ morum, ſummâ victûs frugalitate, abſtinentiâ carnium, componendis Principum diſſidentium litibus, ſtudio meditationum diuinarum, & publico cultu ſacrorũ ſpectata eſt; periculis quoq; pro ſalute publicâ obeũdis, cùm in medium turbinem belli cum Othone Imperat. ingreſſus eſt. Miranda ipſius opera plura ſunt, quàm vt hîc enarrentur: Anno CMLXXVI. (tertio alijs) *obijt*, inquit Sigebertus, *S. VValdricus Augſpurgenſis Epiſcopus, cujus vita qualis fuerit, mox miraculorum gloria patefecit.*

Martyrologia. Berno. Surius IV. Iulij. Breuiariũ Auguſt. Breuiariũ Ambroſianum à S. Carolo Borromæo editum. Sancti Auguſtani. Hiſtorici Dietmarus, VVitichin. alij, Multa etiam de eodem Baronius annal.

S. VDAL-

S. VDALRICVS EPISC. AVGVSTAN. IN BOICA NATVS.

Boica te cælo genuit, pia Rhetia fouit,
Pontificem rapuit, Vindo Lycúsq; suum.
Nomen VDALRICO *eſt, satis eſt, iam cætera nouit,*
Teutonico quiſquis natus in orbe fuit.

Stant auguſta tuis Auguſtæ munera votis:
Viuunt et vitæ munera mille tuæ.
Priſca fides, pietásq; vocat te Diue parentem;
Quos tibi dat natos lux hodierna Pater.